



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

VII. Vtrum omnia auxilia conducentia in finem supernaturalem sint
intrinsicè supernaturalia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

quod mutuo inter se connectantur eodem modo, & ob eandem rationem; in eo tamen differunt, quod non possint exercere totam suam virtutem actiuam, & passiuam, nisi existente ordine Naturæ, cuius illa sunt promotiua, perfectiua, & eleuariua ex natura sua, eaque propter habent connexionem cum tali ordine, & cum rebus in eo contentis, cuiusmodi nulla vicissim conuenit connexio naturalibus. Atque per hæc patet ad sextum.

QVÆSTIO VII.

Vtrum omnia Auxilia conducentia in finem supernaturalem sint intrinsecè supernaturalia?



IDE TVR non esse. 1. Quia non est necessesse omnes actus salutes versari circa motuum supernaturalem. Ergo non est necessesse eosdem oriri à Gratia intrinsecè supernaturali. Patet consequentia, quia omnia motiua naturalia continentur intra ambitum potentia, & principiorum, & consequenter actuum intrinsecè naturalium; Nempe quæ excedunt vigorem, & sufficientiam Naturæ, sunt eo ipso supernaturalia. Probat antecedens Vasquez 1. quia Luc. & Matt. 10. & alibi sæpe promittitur, atque reddita perhibetur vita æterna propter obseruantiam Legis naturalis, & opera misericordiarum, nulla facta expressione, aut insinuatione motui supernaturalis. 2. quia Conc. Trid. sess. 6. c. 16. definit, Operibus factis in Gratia, & ex Gratia per Christum, nihil deesse ad meritum vitæ æternæ. Actus autem motui naturalis fieri possunt ab Homine iusto, idest, in Gratia, & ex cogitatione indebita, saltem quoad congruitatem, maximè pro præfenti statu Naturæ lapsæ, quod est eos esse ex gratia per Christum, per quem scilicet habemus omnia dona, vnde cumque indebita naturæ; Ea verò maximè, quæ sunt indebita ratione peccati originalis. 3. Quia plerisque bene operantibus, ne quidem venit in mentem motuum illum supernaturalem. Vnde fieret maiorem longè partem bonorum operum, quibus exercentur Fideles, etiam iusti, euadere prorsus inutilem, certè nihil positiuè conferentem ad vitam æternam, quod est durum dictu, & si communiter crederetur à fidelibus; abiret in contemptum, atque inde in desuetudinem.

2. Omnes actus elicit auxilio Gratia per Christum sunt salutes; sed omnes actus honesti, etiam intrinsecè naturales, sunt ex auxilio per Christum, nec possunt elici absque illo. Ergo omnes actus honesti etiam intrinsecè naturales sunt salutes, idest, conferentes positiuè ad finem supernaturalem. Ergo Auxilia Gratia intrinsecè naturalia possunt esse conducentia positiuè in finem supernaturalem. Patet secunda consequentia, quia ad actus intrinsecè naturales non est necessarium auxilium intrinsecè supernaturale. Probatur maior. Quia omnis Gratia per Christum est positiuè salutaria, cum Christus ea solum de causa mortuus sit, vt consequamur salutem æternam, vt docet inter alios Augustinus epist. 105. col. 3. ab illis verbis. *Etenim Christus, &c.* Probatur minor ex frequenti Conciliorum, & Patrum doctrina, statuentium 1. ad omnia, & singula bona opera, semper, & vbique necessarium nobis esse Adiuutorium Dei, & Gratiam per Christum. 2. sine isto adiuutorio, & Gratia nihil boni posse hominem peragere. 3. Nihil habere de se hominem, præter mendacium, &

peccatum; ac proinde cætera omnia haberi ex Gratia Dei per Christum. 4. Eundem non esse liberum ad bonum absque Gratia per Christum; sed tantum ad malum.

3. Actus intrinsecè naturales, & elicit cum auxilio intrinsecè naturali, possunt esse proprii hominis iusti. Certum enim est hominem iustum, posse moueri ad operandum ex motiuo honesto naturali; nec indigere gratia intrinsecè supernaturali, vt ex tali motiuo operetur. Actus autem honesti, qualescumque sint, & vnde cumque proueniant, dummodo fiant ab homine iusto, euadunt positiuè salutes; Quia dignificantur, atque eleuantur per Gratiam sanctificantem in genere causæ formalis, non secus, atque eleuantur in genere causæ efficientis intellectus, aut voluntas per adiunctos sibi habitus supernaturales. Ergo auxilia Gratia intrinsecè naturalia possunt euadere positiuè salutaria, ac proinde conferentia positiuè in finem supernaturalem.

4. Facienti quod in se est, Deus non denegat Gratiam, iuxta vulgare axioma. Faciens autem, quod est in se, prout opponitur sibi facienti ex Gratia data à Deo, operatur cum auxilio intrinsecè naturali. Ergo actus elicit cum tali auxilio, & consequenter ipsum auxilium, participant conceptum dori positiuè salutis, utpote utilis, ac positiuè conferentis ad consecutionem Gratia supernaturalis conferendæ à Deo cum infallibilitate dependenter ab opere elicit cum tali auxilio. Idem suadent promissiones illæ Evangelicæ; *Petite, & accipietis: Querite, & inuenietis: Pulsate, & aperietur vobis.* Ex quibus apparet, cumulum donorum supernaturalium expectare præuios honestos conatus Naturæ, vt homine id quærente ex se, quo indiget, suamque indigentiam precibus agnoscente, Dominus supereroget, quo abundet. Et quidem si ad petendum, quærendum, & pulsandum vtiliter, non sufficeremus ex nobis, vrgeret nos æqualis ad eos actus, & reliquos salutes necessitas Gratia non contenta intra vires Naturæ; simulque essemus destituti cõditione sine qua non, ad acceptionem, inuentionem, & ad apertionem diuinæ misericordiarum, illam gratiam erogantis; vel esset admittendus processus retrogradus in infinitum actuum eiusmodi, & auxiliorum supernaturalium.

Art. 1. Resp. Actus perducentes ad aliquem finem oportet esse proportionatos fini, necnon principia actuum, actibus ipsis. Actus autem intrinsecè naturales non sunt proportionati fini intrinsecè supernaturali; nec principia intrinsecè purè naturalia, actibus intrinsecè supernaturalibus. Ergo actus perducentes ad finem intrinsecè supernaturalem oportet esse intrinsecè supernaturales, similiterque principia actuum supernaturalium intrinsecè. Ergo auxilia Gratia conducentia positiuè in finem supernaturalem, necesse est omnia esse intrinsecè supernaturalia. Quod est fundamentum D. Thomæ 1. 2. q. 109. ar. 5. & vtitur præmissis non indigentibus vltiori probatione. Sanè positus actibus non proportionatis fini, non magis sequitur finis, quàm illis non positus, seu posito quouis alio, cum disparatè se invicem habeant, quæ sunt improporcionata ex ea parte, ex qua est improporcionatio. Nec minùs clarum est, nullum actum excedere proportionem sui principij actiui; cum ex eo habeat totam suam perfectionem. Rursus supernaturalia ex eo talia dicuntur, quia euehuntur vltra proportionem rerum naturalium, quibus superadduntur, vt liquet ex quæstione præcedenti. Sunt igitur manifesta, quæ assumpta sunt omnia.

Art. 2. Confirmatur. Dispositio proxima per se requisita, & sufficiens ad finem supernaturalem, est intrinsecè supernaturalis. Siquidem inducit rationem debiti in se intrinsecè supernaturalis. Ergo eadem ratione

tione dispositio proxima ad eiusmodi dispositionem, erit intrinsecè supernaturalis, eodemque modo sub eodem argumento sit regressus per totum iustitiæ salutis progressum in ordine ad finem supernaturalem, supponendo, quod per se patet, nihil esse positivè salutis, seu conducens ad finem supernaturalem vitæ æternæ, quod non sit proxima dispositio ad aliquid ulterius salutis, usque dum deveniatur ad finem supernaturalem.

Art. 3. Confirmatur rursus. Auxilia, & opera propria status puræ naturæ, non fuissent conducentia positivè ad finem supernaturalem obtinendum. Quandoquidem nihil naturale, cum aliquo supernaturali connexionem habere potest ullam; nec vim aliquam aliquid eiusmodi inducendi, ac ponendi à parte rei. Auxilia autem, & opera intrinsecè naturalia nequaquam sunt maioris modò valoris, quàm fuissent in statu puræ naturæ. Accedit perfectionem naturalem purè physicam non posse quidquam conferre positivè; vel etiam mediatè, & remotè ad existentiam doni supernaturalis purè physici. Principium autem moraliter agendi, ipsaque moralis operatio non aliter comparantur cum præmio, & finem supernaturali, quàm comparatur principium purè physicum cum effectu purè physico.

Art. 4. Confirmatur denique. Quoniam Deus non minùs providet de mediis ad finem supernaturalem, quàm de mediis ad finem naturalem conducentibus; Quin potius Providentiæ supernaturalis est à toto genere præstantior; ac proinde habet effectus meliùs inuicem ordinatos. Providentiæ autem naturalis non adhibet media extrinsecè tantum ordinata ad suum finem, aut non valentia intrinsecè illum inferre. Ergo idem à fortiori dicendum est de mediis deferuentibus ad finem supernaturalem.

Art. 5. Hæc omnia eò tendunt, ut ostendant omnes Auctores Catholicos convenire debere in agnoscenda necessitate auxiliorum Gratiæ intrinsecè supernaturalium ad omnes, & singulos actus positivè salutares de facto, atque positivè conducentes ad finem præfixum humanæ naturæ, quandoquidem omnes consentiunt, nec dissentire possunt: Visionem Dei immediatam, quæ de facto est ultimus finis humanæ naturæ propositus, esse supernaturalem intrinsecè, & quoad substantiam, de quo dicendum est ex præfesso in quæstionibus de Deo. Porro supposito isto principio, potest multipliciter ostendi supernaturalitas intrinseca omnium auxiliorum, & actuum positivè salutarium, quia iidem Doctores Catholici conveniunt in agnoscendis quibusdam donis, & auxiliis Gratiæ intrinsecè supernaturalibus, propter testimonia Scripturæ apertè præ se ferentia eam supernaturalitatem. Sunt autem communia omnibus auxiliis, & operibus supernaturalibus eiusmodi testimonia Scripturæ. Quia prædicata, quibus vel maximè significantur dona intrinsecè supernaturalia, sunt ea, quibus dicitur aliquid superaddi humanæ naturæ, quod non sit ex ipsa, sed ex Deo; nec ex debito, sed ex Gratia, & misericordia Dei: quod non sit opus humanum, sed divinum; nec factum viribus à sufficientia, & conatibus nostris; sed virtute Altissimi, digito, & dextera Dei. Quod non obtinetur per extrinseca subsidia Creaturarum, & dependenter à sensibus; sed per internam infusionem, illustrationem, & inspirationem Spiritus Sancti. Hæc autem omnia formaliter, vel æquivalenter sunt communia omnibus, & singulis auxiliis Gratiæ positivè salutaribus, ut liquet observanti testimonia, quibus omnes Catholici probant necessitatem Gratiæ per Christum ad omnia, & quælibet opera, vel minima. Audiantur exempli gratia, quæ sunt magis conspicua, ac celebriora, Rom. 8. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est*

Dei. Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. 2. ad Cor. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Ad Philipp. 2. Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate. Iacob. 2. Omne datum optimum de sursum est, descendens à Patre luminum. Clarum autem est, omnem salutariter operantem, velle, & currere, ire ad Christum, habere datum optimum, cogitare, & aut velle, aut perficere, eo sensu, quo in prædictis testimoniis eæ voces usurpantur. Ergo omnis salutariter operans habet aliquid, cui conveniunt formaliter, vel æquivalenter ea omnia prædicata, quibus donum intrinsecè supernaturale significatur in sacris literis.

Art. 6. Consonat his Concilium Arausicanum 2. can. præsertim 7. Vbi declarat hæretico falli spiritum, *Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sine saluari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti. Et can. 8. Divini est muneris, cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & insiditiis tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur operatur. Et can. 18. Debetur merces bonis operibus si fiant, sed Gratia, qua non debetur, præcedit ut fiant. In quibus comprehenduntur, procul dubio, omnia auxilia salutaria indiscriminatum, atque ab omni opere salutari excluditur sufficientia vigoris naturæ. Agnoscuntur necessaria illuminationis, & inspiratio Spiritus Sancti; divini muneris largitas; operatio Dei in nobis, atque nobiscum; Gratia Dei non ita debita, & connaturalis homini, sicut debita, & connaturalis est merces bonis operibus. Omnibus igitur, & singulis operibus salutaribus, hoc est indiscriminatum commune, ut ad illa perficienda sit necessaria Gratia intrinsecè supernaturalis, eiusdemque prorsus rationis pro minimis, atque pro maximis*

Art. 7. Valet plurimum in eundem scopum comparatio reliquorum actuum salutarium, cum actibus Fidei, Spei, & Charitatis; quam in rem expendendum inter alia est, quod habet Concilium Trid. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, & adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut ponere posse sicut oportet, ut ei iustificatio gratia conferatur, anathema sit. Eodem autem profuso modo, eodemque tenore verborum, semel, atque iterum utitur eadem sess. c. 5. & 6. de Gratia necessaria ad initium iustificationis, enumerans singulos actus, ex quibus ea potest initium ducere, & cap. 10. & 11. eadem omnia definit, circa incrementum iustificationis, obleruntiam Mandatorum, omniaque opera salutaria. Eandem loquendi uniformitatem circa virtutes Theologicas, & reliquos omnes actus salutares, quoad necessitatem Gratiæ, eiusque conditionem, ac excellentiam retinuerat etiam Concilium Arausicanum 2. à can. 3. ad 7. Maximè verò 6. vbi indiscriminatum definit, *Fidem, credulitatis affectum, laborem, vigiliam, conatum, petitionem, & cetera omnia etiam cogitare, ut expedit, fieri non posse prout oportet, nisi per infusionem, & inspirationem Spiritus Sancti. Quare ad nullum actum salutarem negari potest necessaria Gratia intrinseca supernaturalis; si ea est necessaria, uti certissimè necessaria est ad actus virtutum Theologicarum. Audiendus est hac de re Augustinus de dono persever. c. 17. vbi cum statuisset Castitatem esse donum Dei, subdit immediatè sic. *Quod autem dixi de Castitate, hoc de Fide, hoc de Spe, de Charitate, de Perseverantia, & ne pergam per singula, hoc de omni obedientia, qua obeditur Deo, veracissimè dicitur. Enimverò, qui ad Fidem, Spem, & Charitatem agnolcunt necessariam Gratiam intrinsecè supernaturalem,***

vti necesse est omnino agnoscere, ad reliquos verò reputant sufficientem, quæ intrinsecè naturalis sit, non hoc dicunt, quod ad necessitatem Gratiæ attinet, de qua agebat Augustinus, de reliquis virtutibus, atque de Theologicis; nec eo sensu, ac modo illas dicunt dona Dei, quo istas dona Dei esse fatentur. Quare stando auctoritati, & Conciliorum, & Augustini, nullum prorsus est discrimen inter alias, atque alias virtutes, quoad punctum præsens; nec vllum suppetit effugium negantibus vniuersalem, ac vni-formem totius Gratiæ salutis supernaturalitatem.

Artic. 8. Superest duplex alia comparatio, quæ rem eandem valde firmat. Altera est cum visione beata; Altera cum Vnione Hypostatica, vtrique instituta ab Augustino, atque in præsentem scopum expressa efficaciter. Epistol. namque 105. ante medium, quoad Visionem, sic ait. *Ipsa vita eterna, quæ meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed nobis facta per Gratiā, etiam ipsa Gratiā nuncupatur, non ab aliud, nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt merita, quibus datur.* Tota igitur ratio Gratiæ, atque adeo indebiti, & supernaturalis conueniens Visioni Dei data pro meritis, provenit ex ratione Gratiæ, indebiti, & supernaturalis conuenienti meritis, & consequenter auxilii Gratiæ, quibus ipsa sunt. Ergo repugnat Visionem Dei esse, vt suppositum est, supernaturalem quoad substantiam, quin sit eodem modo supernaturalis tota Gratiā salutis.

Art. 9. Altera comparatio de Vnione Hypostatica habetur cap. 15. de prædest. sanct. ad med. *Ea Gratiā fit ab initio fidei homo quicumque Christianus, quæ Gratiā homo ille ab initio factus est Christus.* Et rursus ad finem capitis (Viget enim multipliciter comparationem toto eo capite, & initio sequentis) *Ille facit in hominibus Principium fidei, & perfectionem in IESU, qui fecit hominem principem fidei, & perfectorem IESUM.* Quæ, vt verificentur, & in significatione propria retineantur, necesse est, Gratiā salutarem nobis in-hærentem esse indebitam naturæ nostræ, & eleuatam supra eius exigentiam, non secus ac indebita est, & superior existentia Christi, ac proinde vtramque esse æquè propriè supernaturalem, ac gratiosam quoad substantiam. Quomodo enim conueniunt in ratione Gratiæ, suntque eadem Gratiā, quorum alterum est Gratiā intrinsecè, & quoad substantiam, alterum verò non nisi denominatione, extrinsecè, ac per accidens? Fouent istam comparationem in hoc sensu non parum, verba illa Saluatoris Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Nec enim idonee, & satis opportune adiuncta, & interposita fuisset missio tractioni, & vtrique adscriberetur Patri operanti ultra terminos potestatis naturæ, nisi vtraque esset ab ea hominis natua potestate penitus remota intrinsecè, & per se. Eodem pertinet, quod ab Apostolo Paulo dicimur *Nona Creatura, nouum figmentum, nona conspersio ex nouitate Christi, & cum illo, atque in illo.* Hoc enim indicat clarè, omnia quæ in nos redunt ex Christo Domino, & quibus per ipsum proficimus in salutem vitæ æternæ, atque à peccati labe, & miseria liberamur, participare eandem rationem doni eleuati supra exigentiam naturæ nostræ. Teneri igitur debet, vt omnino certum, omnia auxilia conducentia positiuè in finem supernaturalem, adeoque omnia quæ de facto sunt positiuè salutaria, esse intrinsecè, & quoad substantiam supernaturalia, tum ob rationem theologicam à priori, tum ob multiplicem paritatem, & auctoritatem positis principiis apud omnes Catholicos indubitatis, de quorum singulis dicitur in loco, licet conclusio

R. P. Esparza. Curs. Theol. Tom. I.

ex iisdem principiis à nobis deducta, non sit in eodem certitudinis gradu constituta.

Art. 1. Ad 1. Negatur vllum actum vtilem possit esse posse ad vitam æternam, aut meritum eius siue de congruo, siue de condigno, cuius motuum, & finis per ipsum intentus non sit supernaturalis, id quod præter ea quæ dicta sunt, confirmatur valde ex iisdem illis principiis, quæ tanguntur in argumento. Nam in primis apud Lucam promittitur vitæ æternæ obseruantia legis naturalis, occasione Legis periti interrogantis Christum. *Quid sciendo vitam æternam possidebo?* Quod qui interrogat, ostendit se certum de fine, quem intenderet, incertum verò solum de mediis, quibus illum apponeret. Suggestitur autem obseruantia Legis à Christo Domino aiente, *Hoc fac, & viues.* Vbi sic exponitur quid faciendum sit, vt simul intimeretur motuum, ex quo fiat. Ergo tam interrogatio, quam responsio innuntiat satis, si & apertè non supponunt, motuum obseruantia salutis debere esse salutare, vitam scilicet æternam. Similiter Matth. 10. & 25. & Marc. 9. exhibetur vitæ æternæ propter opera misericordiæ, non qualiæcumque, sed quæ Christum in Paupere respexissent, vt patet ex illa Christi caulali. *Esurui enim, & dedistis mihi manducare.* Et rursus, ex promissione mercedis non perdendæ propter potum aquæ, & propter hospitium, sitienti, & aduenæ administratum, non qualitercumque, sed in nomine Christi, aut Prophetæ, aut Discipuli, aut Iusti, quæ manifestè continent motuum supernaturale additum implicite, aut explicitè actioni externæ in se naturali. Nec enim ita dat Pauperi subsidium, vt simul det Christo, qui voluntate dandi nullo modo respicit Christum: Nec item respicit Christum, qui non intendit implicite, aut explicitè placere illi. Neque hoc denique intendit, qui non intendit aliquid intrinsecè supernaturale; cum Christus in rebus purè naturalibus secundum se nullatenus contineatur. Idem dicitur de dante in nomine Christi, Prophetæ, &c. Quia dare in nomine Christi, est dare propter Christum, & dare in nomine Prophetæ, est dare quia Prophetæ est, & sic de cæteris. Patet autem sub singulis illis vocibus significantibus motuum operis, contineri expressè formam supernaturalem, constituentem in ratione iusti, & discipuli, &c.

Art. 2. Neque obstat illa ibidem ant interrogatio misericordium Beatorum, *Domine quando te vidimus esurientem, & pauperem?* Aut exprobratio condemnatoria immisericordium. *Esurui enim, & non dedistis mihi.* Cum certum sit, vt expendunt Auctores contrarij, nec admirari quemquam, aut interrogare de motuo, quod intendit ipse, & cuius proinde conscius fuit, nec condemnari, quia non retulit opera misericordiæ in Christum; sed quia illa secundum se omisit. Non, inquam, hæc obstat, quia illa admiratio non est ignorantium, sed magnificentium sublimitatem præmij comparatam cum exiguitate obsequij non exhibiti immediate physice personæ Christi: Nempè ea admiratio perhibetur in Evangelio communis omnibus per misericordiam Beatis, inter quos certum est plures, etiam expressè retulisse operam in Christum, & ex eius formali amore ea præstitisse. Exprobratio autem immisericordium, licet eos non damnet, quia non retulerunt opera misericordiæ in Christum: damnat tamen, quia ea omiserunt contemptis omnibus motiuis impellentibus ad miserendum, quorum vnum, idque præcipuum est Christus.

Art. 3. De Concilio Tridentino vix opus est aliquid dicere, quandoquidem probatum est ex eodem Concilio, omnem Gratiā salutarem esse intrinsecè supernaturalem, & proinde proponere motuum

N p intrin

intrinsecè supernaturalia. Talium igitur motuorum necessitas sufficienter docetur, ubi docetur expressè, ut docetur eo loci, necessariam esse processionem actus ex Gratia per Christum: sermo namque est de Gratia non accidentaliter, & extrinsecè per Christum, aut indebita solum ratione peccati, aut respectu indiuidui determinatè sumpti, sed de ea, quæ derivatur à Christo in reliquos, sicut à vite in palmites, quæ est comparatio ipsius Concilij. Patet autem, succum derivatum à vite in palmites, esse diversæ rationis in se intrinsecè & succo, & humore derivabili aliundè, atque ab eo principio ex sua natura determinatè pendere, & non per accidens tantum.

Art. 4. Circa inconueniens de inutilitate, & contemptu virtutum moralium tria obseruanda sunt documenta valdè vtilia. Primum est iuxta communem, & obuiam Patrum, præsertim Augustini doctrinam, plures operationes externas ex se bonas, euadere steriles in ordine ad vitam æternam, ex defectu intentionis, aut non bonæ, aut non eleuatæ in Deum, pro ut oportet, & propter animum intentum rerum naturalium sollicitudine, nec erectum illustratione fidei; eique obsequentem. Alterum est, homines de bono animæ, ac vitæ æternæ sollicitos, utcumque alias idiotæ ac stiles sint, assequi facili, ac familiariter motuum reipsa supernaturalia, idque singulis actibus apponere, intendendo iustificationem, & vitam æternam, gloriam, & prælationem Dei super omnia, pro ut simpliciter proponuntur per fidem, expletionem, & promotionem propositi initio iustificationis concepti, eiusdemque iustificationis, maiorem Dei erga se dilectionem; idoneam, aut magis idoneam dispositionem ad Sacramenta, & vberiora Dei Glorificatoris dona; Imitationem Christi, & Sanctorum, Euangelicam perfectionem, quæ omnia sunt formaliter supernaturalia; & alia plura similia admodum familiaria, includunt implicitè aliquid supernaturale iuxta modum, quo communiter apprehenduntur, ac intenduntur à fidelibus. Tertium est, ne virtutes morales abeant penitus in contemptum, tametsi nullo motu supernaturali eleuentur, abundè sufficere, quod illis, etiam sic exercitis, vitentur peccata, & pœnæ æternæ, reddantur minus difficiles actus supernaturales circa eadem obiecta, pariant præmia temporalia, & æternum aliquod accidentale.

Art. 1. Ad 2. Dux distinctiones præferendæ sunt: altera Gratiæ per Christum extrinsecè, & per accidens, à Gratia per Christum intrinsecè, & per se tali: Altera operum conducentium ad beatitudinem naturalem à conducentibus ad visionem Dei immediatam. Gratia extrinsecè tantum per Christum est, quæ licet de facto distribuatur determinatis indiuiduis, dependenter à meritis Christi; danda tamen erat absolute secundum suam speciem infimam, nullis etiam existentibus Christi meritis. Intrinsecè autem per Christum dicitur, & est ea Gratia, cui ex se conuenit, dandam nullatenus fuisse Generi humano, si Christi merita illam non induxissent: Opera conducentia ad beatitudinem naturalem sunt propria status puræ Naturæ; Conducentia verò ad visionem Dei immediatam, quæ, & salutaria absolute dicimus, sunt propria Naturæ Eleuatæ, siue Innocentis, siue Reparatæ. Vtraque distinctio stabilietur à quæst. 9. maxime verò 12.

Art. 2. Supposita inde pro nunc vtriusque veritate, dicitur ad Argumentum. Omnes actus elicitos auxilio Gratiæ per Christum intrinsecè, & per se tali, esse salutares, non verò elicitos auxilio Gratiæ per Christum extrinsecè tantum, & per accidens tali. Concilia, & Patres, saltem, ut plurimum, nomine operum bonorum, tantum intelligunt opera condu-

centia ad visionem Dei immediatam, quæ est finis de facto humanæ, atque Angelicæ naturæ præfixus, atque de his rectè dicitur, fieri non posse sine gratia per Christum, etiam intrinsecè, & per se tali. Unde consequenter definiunt sub eodem sensu, nihil hominem habere de suo, & absque Gratiæ supernaturalis subsidio elicitum, nisi mendacium, & peccatum atque eodem modo esse libertatis expertem ad bonum absque Gratia; consideratis scilicet operationibus humanis solum relatè ad visionem Dei, & beatitudinem supernaturalem.

Art. 3. Ratio sic interpretandi est. Quia è re Conciliorum, & Patrum solum erat stabilire necessitatem Gratiæ ad consecutionem vitæ æternæ; qualis de facto proposita est. Quid enim opus erat differere de sufficientia, aut insufficientia humanæ Naturæ pro aliis etiam statibus, & finibus purè possibilibus, maxime dum configeretur cum Pelagio effrente nimium liberi Arbitrii vigore, solum in ordine ad eundem finem de facto propositum. Hunc fuisse vniuersique partis scopum, ex eo comprobatur aperte. Quia controuersiam ubique, & ferè vnicè agitant sacra pagina testimoniis, in qua certum est nos doceri de eo solo ultimo fine, quem Deus de facto nobis præfixit. Notum autem omnibus est; & vniuersis quantissimo indubitatum, licet essentur Propositiones ex terminis vniuersalibus conflatae, semper nihilominus eas subintelligi contractas, ac determinatas ad subiectam materiam: sic dum sermo est de Scientia Theologica, atque de aliquo eius Professore, rectè dicitur, nihil ipsum scire, neque quidquam posse dicere, aut facere absque errore, si non dirigatur, ac manuteneatur à bono Magistro, tametsi peritissimus sit rerum mathematicarum, aut documentorum ad Politicam spectantium, dummodo Theologiæ sit penitus infans.

Art. 4. Nec defunt exempla eiusmodi interpretationis, præsertim apud Augustinum; Apostolum enim dicentem, *Si tradidero Corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: interpretatur hoc eodem modo cap. 26. de Patientia. *Nihil prodest, intelligitur ad Regnum Cælorum obtinendum, non ad extremi Iudicii supplicium tolerabilius subeundum*. Sed illud est in rem præsentem appositissimum, quod habetur lib. de Prædest. Sancto. c. 2. Cum enim prætulisset sententiam Apostoli, *Non quia idonei sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis*, qui est modus vniuersalissimus negandi, sic eam interpretatur, ac restringit ex scopo, & materia Epistolæ, *Quod ergo pertinet ad Religionem, atque Pietatem, de qua loquebatur Apostolus. Si non sumus idonei, &c. Profecto non sumus idonei credere*. Quidni ergo similem & nos interpretationem simili cum fundamento adhibeamus?

Art. 5. Accedit Augustinum eadem illa dicere de fidei necessitate, quæ obiciuntur de necessitate Gratiæ. Epist. enim 105. propius ad principium quam ad mediū: *Opera quippe bona, ait, sunt ab homine: fides autem fit in homine, sine qua illa à nullo sunt homine. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est*. Certum verò est ex contextu, sermonem esse de fide Theologica lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Statuit non posse quemquam bene operari, nisi per fidem perceperit Gratiā*. In præfatione ad Psalm. 21. longè à principio, sic infert: *Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: Vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentione facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat*. Ad quæ testimonia, quibus alia sunt complura similia apud Augustinum, necesse est, Adversarios supernaturalitatis intrinsecæ totius Gratiæ posituē salutaris, adhibere interpretationem; quæ per nos adhibita est classibus

classibus testimoniorum per ipsos obiectis. Præterea ex postremis Augustini verbis colligitur id, in quo nunc immediatè verlamur; nempe Fidem requiri ad opus quodlibet bonum bonitate salutari, ratione motui, quod sola ipsa fides proponere potest; ac proinde motuum actus salutis necessario esse supernaturale; Nempe quod est naturale, ratio naturalis proponere potest.

Ad 3. Dignitas, & perfectio operantis, quæ non exercetur in opere, non potest dignificare opus, quia potius operans, quatenus infra dignitatem operatur, nec deducit in opus perfectionem actiuam, qua pollet, reprehensione magis videtur dignus, quam præmio. Patet autem habentem auxilia intrinsecè supernaturalia, & proinde vocatum, ut operetur ex motu supernaturali, si nihilominus eliciat actum intrinsecè naturalem, operari adæquatè infra perfectionem actiuam supernaturalem, atque contemnere motum supernaturalem, præ naturali, & consequenter non exerceri in tali opere gratiam habitualement, quæ est radix Gratiæ actualis supernaturalis, & mediante ipsa quatenus supernaturali influit in opus. Vnde patet paritatem ex comprincipio physico supernaturali, nihil conuincere: sed potius conuincere oppositum, quia si solum vniatur cum comprincipio naturali, nec illi operanti cooperetur physice, effectus non euadet perfectior physice.

Art. 1. Ad 4. Axiomatis illius; *Facienti quod in se est, Deus non denegat Gratiā*, duplex est sensus legitimus. Alter est, Facienti quod in se est, cooperando Gratiā, quam iam habet, Deus non denegat aliam deinde, & aliam Gratiā. Alter est, Conanti quantum est in se, ut laudabiliter utatur obiectorum, aliarumque causarum naturalium occurribus impellentibus ad bonum morale, Deus non denegat præuenientem Gratiā supernaturalem, vi cuius conatus alioqui futuri naturales, ac inanes, euadant intrinsecè supernaturales, ac proinde salutares. Stat nimirum Deus ad ostium, & pulsar, præueniens nos per Gratiā, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; potens, & volens omnes homines saluos fieri, atque in eum finem sese inferens causarum naturalium opportunitatibus purè passivis per Gratiā supernaturalis auxilia, quibus conatus humani prosperentur, elicit, prout oportet ad salutem: Quare Gratiā non est pedissequa ad opus naturale; sed præueniens, ut sit supernaturale, si per voluntatem non steterit nolentem obsequi nobiliori Dei illustrationi ac directioni.

Art. 2. Id verò negandum omnino est, quod in obiectione dicitur de petitione, quaestione, pullatione præueniente ad omnia dona Gratiæ supernaturalis. Nempe in testimoniis obiectis, non præmittitur petitio, uti contendebant Semipelagiani, ubertati donorum Dei, vel tanquam habita ex solis viribus Naturæ, vel tanquam conditio sine qua non ad omnia dona Dei prorsus indebita, & superantia vires, ac exigentiam Naturæ: Ipsa namque petitio facta prout oportet ad salutem, superat vigorem naturæ, & est ex Gratiā supernaturalis, ut constat ex testimoniis Arauscani, & Tridentini superius positis. Suademur ergo, ut ab oratione, & precibus ducamus initium iustificationis, & directionis animæ in beatitudinem supernaturalem, reliquorumque postea operum magis difficile, quia petitio est actus, indigenti (qualis est vnusquisque nostrum) ex se facillimus, simulque est, quod testimonia obiectionis declarant, efficacissimus apud Deum. Ad petendum igitur, querendum, & pulsandum dat sæpè Deus Gratiā purè præuenientem, idest, quæ nullum supponat nostrum meritum respectu ipsius siue mediatur, siue immediatè ille influat in nostros actus; de quo dicitur infra, & simul ostendit

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

detur non excludi cooperationem Gratiæ respectu alicuius operis ex eo, quod homo faciat, quantum est in se, dum illud exequitur. Quinimodò nunquam hominem facere quantum est in se, seu quantum potest ex se tam elatiuè, quam effectiue, quin Gratiā ipsi coopretur. Iam processus in infinitum sistitur dante Deo Gratiā purè præuenientem ad orandum, vti dictum est.



QVÆSTIO VIII.

Vtrum necessitas Gratiæ intrinsecè supernaturalis sit communis naturæ integræ cum lapsa.



IDEVR non esse communem, propter quamplura D. Augustini testimonia, quibus videtur aperte negari naturam innocentem indigere Gratiā ad consequendam vitam æternam, & præstanda ea opera, quibus illa obtinetur. Docet namque 1. idque sæpe, & luculenter, Creaturam rationalem condi non posse, absque dilectione Dei, veritatis, & iustitiæ, aut saltem absque perfecta sufficientia ad illa, & Deum fore iniustum, si ita condere vellet hominem, aut Angelum. Docet 2. Nemini negari à Deo posse vitam æternam, & visionem beatam, si peccando non reddat se indignum tantis donis, atque oppositum, vel maxime impossibile esse cum Iustitia, & æquitate Dei. 3. Denique docet Deum futurum fuisse iniustum dum tot paruulos decedentes sine Baptismo, excludit à Regno Cælorum; si nullum esset peccatum originale vniuersaliter afficiens genus humanum: Primi generis testimonia habentur l. 2. de lib. arbit. à c. 10. ad 20. & lib. de duab. anim. c. 3. & 4. Secundi verò, & tertij generis habentur l. 3. contra Iulian. c. 12. & l. 5. c. 11. & ferm. 4. de verb. Apost. c. 5. Atque in his quidem locis, ea principia traduntur fusius, & magis ex professo, obiter autem, atque breuiter, sed clarissime, in aliis præterea penè innumeris, quorum propterea nullum necesse est transcribere seorsim, aut expendere, quia eæ phrasæ, ac sententiæ sunt apud Augustinum obvia, ipsumque vel leuiter euoluentibus prorsus indubitata. Nihil autem ex illis tribus videtur vilo pacto coherere posse, cum necessitate auxiliorum Gratiæ intrinsecè supernaturalium respectu Naturæ Integræ, ideoque Innocentis. Quandoquidem vnusquisque absque his produci, & existere potest, quæ gratuita, & purè liberaliter sibi superadduntur, eademque, tam quoad finem, quam quoad media eisdem absque vlla iniustitia negantur, tamen nullo peccato seu personali, seu originali se reddiderit indignum. Ergo Naturæ integræ, ac Innocenti non est communis cum natura lapsa, & peccatrice necessitas auxiliorum supernaturalium Gratiæ, & potuerunt Angeli, nequon Adamus ante peccatum edere opera quælibet salutaria, atque elicere dilectionem Dei, & Iustitiæ, quæ est vinculum perfectionis, ac deum obtinere vitam æternam iis solum viribus, & auxiliis suffulti, cum quibus eorum natura esset ex se, & intrinsecè connexa, quæque proinde essent ipsis innegabilia, iuxta legem naturæ ipsis secundum se ante peccatum essentialiter conseruatam.

Art. 1. Resp. Necessitas auxiliorum Gratiæ præpriissime talis asserenda omnino est communis statui Naturæ Integræ cum lapsa, nec est vilo pacto admitendum Naturam, vel Angelicam, vel humanā, se sola,

N n 2

ans